Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2169
Quelle:
Copyright:

rarium est, quod praevio *Calendario* admodum populoso continet Cursum de Trinitate, Antiphonas de B. V. *Maria* et variis Sanctis, Cursum de Passione Domini, duplicem de B. V. *Maria*, Preces pro Communione, Psalmos de Poenitentia cum Litaniis SS. et Officium Defunctorum, quibus passim insperſae sunt aliae Orationes, et peculiariter ad Sanctos ex Ordine praedicatorum. Codicem adornatum fuisse jussu, et in usus *Eleonorae Lusitanicae Friderici* III. Imp. carissimae Conjugis a. 1467. vivis exemtae, ex eo liquet, quod singulae Icones pientissimam hanc Matronam in genua provolutam exhibeant, parvulo filio *Maximiliano*, quem novennem reliquit, pariter ante Matrem genuflexo, et veluti Deum precari ab ea discente. *Icone* I. Scutum gentilitium Matris et Filii pedibus adstitutum est. *Icone* XI. et ultima sub figura *Christi Judicis* uterque habitu pullo indutus comparet.

DCCCCIII.

Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 254. 8. min. nitide perscriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, et Iconibus LXXVII. a perito artifice decoratus, eque Bibliotheca Collegii S. J. *Neostadiensis* translatus in *Caesareum* fuit olim in pios, et, ut folia quaedam valde adtrita, alia impressam vitrorum ocularium formam retinentia credibile faciunt, pene quotidianos usus *Caroli* V. maximi Imperatoris, quemadmodum jam folium ei praetextum testatur, in quo articulus torquis aurei Velleris visitur cum addito: *Plus Oultre. Charles.* Ordinitur vero a *Calendario*, ubi singulis mensibus tuendae valetudinis praecepta versibus subjuncta sunt, quorum initium: C. 998

In iano claris calidisque cibis potiaris,
Atque decens potus post fercula sit tibi notus &c.

Tum sequitur Institutio de ordinando tempore, praecipue ecclesiastico, Preces cum Formula Confessionis, Symbolum *Athanasio* datum, IV. Evangelia, Passio secundum IV. Evangelistas, Horae de Cruce, de S. Spiritu, de B. V. *Maria*, Psalmi *de Poenitentia* contactum frequentem testantes cum Litaniis OO. SS. in quibus S. *Carolus*, et S. *Engratia* virgo, Vigiliae Mortuorum, aliaeque Preces ad Deum, compluresque Coelites, quarum nulla ita manuum contactu notata est, ut *Oratio ad proprium Angelum fol.* 213. p. 2. Atque ad hanc provolutus in genua comparet *Carolus* juvenili aetate habitu regio coronaque *Hispanica* incinctus, adstitutis hujus Regni Insignibus, ut adeo *Codicem* intra annos 1516—19. scriptum fuisse oporteat. *Fol.* demum 252. ita precatur

Deum